



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

§. 1. Expenduntur bona quorum filijfamilias, serui, clerici, & religiosi  
dominium habent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)



est de dominio præcipua iuris specie, de quo in præfenti puncto duo inquirimus. Primum quibus competere possit? Secundum ad quæ extendatur? Quoad primum attinet, cerum est soli Deo, intellectuallibique creaturis inesse. Nam hæc tantum disponere pro libito possunt de iis quorum habent dominium, ipsique tantum iniuria irrogari possunt; à quo dominio non excluditur homo, cò quòd puer, aut amens sit, aut alia de causa ratione careat, quia dominium non spectat, an actu Dominus de te disponere possit, sed an habeat potentiam radicalem de ipsa disponendi; aliàs ebrius, & dormiens dominium rerum amitterent: ideòque Paul. ad Galat. 4. dixit. *Quanto tempore parvulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium etc.*

Quoad secundum, ad quæ hoc dominium extendatur? Afferendum est dominium Dei ad vitæ creaturas extendi, in vopore quæ ab ipso conditæ sunt, & conservatæ, & in suo esse pendet, quasque pro suo arbitratu absque villa iniuria destrueret, & in nihilum redigere possit. Dominium Angelorum verisimile est extendi tantum ad proprias functiones. Non enim credendum est sibi inuicem subici. Cælestium verò, & sublanarum Domini esse non videntur, nam esto illa gubernent non tamen vi sua, & in suum commodum facta. Hominis dominium extendi ad omnia sublanaria competere est. tum Genes. 1. dicitur *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris etc.* & Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius oves, & boves etc.* Neque obstat post amissam innocentiam, & Adæ peccatum feras hominis imperio non subici, quia ea inordinatio non tollit dominium, cum capi, & occidi ab homine possint. Ultra sublanaria dominium humanum non progreditur. Nam esto oves cælestes ob hominis commodum creati sint, quia tamen de ipsis nequit pro arbitratu disponere, illorum dominium nullatenus habet. Excipio Christum Dominum, cui propter unionem ad Verbum omnia dedit ei pater in manibus Ioann. 13.

Ex his sublanaribus tria sunt ad quæ dubium est, An dominium humanum extendatur? Primo, an vnus homo in alterum, dominium habeat? Secundo an quilibet in suam vitam? Tertio an saltem in famam, & honorem? Quoad primum attinet spectata occasione nullus alteri subicitur, sed omnes sui sunt iuris, leg. *libertas ff. de statu hominum. & §. seruitus, instit. de iure personarum.* Neque obest alios alios esse sapientiores, robustiores &c. Nam inde solum probatur inferiores scientia, & robore à Superioribus regendos esse in ipsorum inferiorum utilitatem, non tamen esse natura subiectos, vt in aliorum utilitatem laborare debeant. Verum iure gentium optimè possunt homines sibi inuicem subici, & dominium habere. Si enim Respublica ius habet delinquentes puniendi, & interficiendi tum in peccatum delicti commissi, tum in aliorum exemplum. Ergo poterit eos in seruitutem redigere quod minus malum est, eaque de causa seruitutes in seruatorum fauorem introductæ fuerunt. Cùm enim possent bello capri in peccatum delicti commissi interfici, non leuis fauor illis concedebatur, si loco mortis irrogandæ, omnia illorum opera exigenterent, & expendi in utilitatem eorum qui eos interficere poterant. Vnde serui dicti sunt à seruando, quia à morte debita in dominium obsequium seruantur. §. *Serui instit. de iure personarum.*

Quoad secundum attinet nullus vitæ, & membrorum dominium habet, quia de ipsis nequit pro suo arbitratu disponere. Neque obest quod putrida membra secar, aut sana periculo pereundi exponit, quia id non pro libito, sed ob iustam causam præstat scilicet ob suppositi conseruationem. Solus Deus qui Author est mortis, & vitæ, cuique omnia plene subiciuntur pro libito disponenda, nostræ vitæ Dominus est. Et licet Respublica peccatores possit non solum in seruitutem redigere, sed vitæ priuare, non inde inferitur dominium in nostram vitam habere, sed boni communis gubernationem, cui necessaria est potestas malefactorum puniendi vsque ad interfecionem & singulorum vitam exponendi, vt communitas conseruetur.

Quoad tertium de fama, & honore, tamen Syluest. verbo *Detrahitio. q. 3. Caiet. q. 73. art. 1. censent neminem suæ famæ, & honoris dominum esse, cò quòd pro libito de his nequeat disponere, quinimò sæpè tum ratione iustitiæ, tum charitatis obligatur. Ecclesiast. 41. consilium sequi. Curam habet de bono nomine. Nihilominus verior est communis sententia afferens, horum bonorum dominium penes hominem esse. Vti docuit D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. & quest. 73. art. 4. ad 2. Adrian. in 4. q. de resitit. circa finem. Sotus. lib. 4. de iustit. q. 2. art. 3. Couarr. 2. var. cap. 2. numero 8. Pett. Nauarr. de resitit. cap. 4. numero 108. & 114. Eman. Saa. verbo *Dominium. numero 5. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 11.**

Etenim fama, & honor bona sunt ex numero eorum, quæ homo propriis factis acquirere, & diminuire potest. Ergo sunt eius potestati subiecta, sicuti subiecta sunt bona fortunæ quæ propriâ industriâ comparantur. Neque obest quod non possis pro voluntate de fama, & honore disponere, nam id etiam bonis fortunæ competit, quorum dispositio rationabilem causam exigit; at stante causâ rationabili sicuti potes fortunæ bona expendere, sic potes famam, & honorem. Vnde passim homines occasione perendi consilij, vel humilitatis acquirendæ suos defectus manifestarunt. Quinimò pluribus hæc manifestatio necessaria est, & obligatoria, vt famam, vel honorem proximi læsum resarciant, à qua obligatione omnino exempti essent, si famæ, & honoris Domini non essent, sicuti exempti sunt ab obligatione se vulnèrandi, & occidendi, tamen vulnèratio, & occisio necessaria foret pro famæ læsæ reparatione.

Ex hoc facile soluitur fundamentum oppositum. Non enim honor, & fama tuo domino subicitur, vt prodigas, sed vt rationabiliter expendas. Quod verò aliquando contra iustitiam pecces te infamando id prouenit non quia propriam famam lædis, sed quia lædis famam aliorum, vel te ineptum reddis muneris exercendo.

PUNCTVM VII.

Quorum Bonorum filiosfamilias, serui, Clerici, & Religiosi dominum habeant?

Explicuimus in genere bona quorum homo dominium habeat. Superest explicandum sigillatim quibus personis, & quorum bonorum dominum interdicatur. Specialiter autem eam priuationem Doctores accommodant quadruplici personarum generi nimirum filiosfamilias: seruis, Clericis, & Religiosis.

§. I.

Expenduntur Bona quorum filiosfamilias dominium habent.

- 1 Quadruplex peculium, seu bonum illis competit. Et explicatur quodnam sit bonum castrense?
- 2 Explicatur quodnam sit peculium quasi castrense?
- 3 Quid sit aduentitium?
- 4 Quid sit profectitium?
- 5 Bonorum castrensiū, aut quasi castrensiū liberam dispositionem filius habet.
- 6 In bona aduentitia filius dominum directum, non tamen vsufructum, & administrationem habet.
- 7 Qui casus ab hac regula excipiuntur?
- 8 Profectitij peculij non filio, sed parenti competit dominium, & vsufructus.

Quòd attinet, ad filiosfamilias, quadruplex peculium, seu bonum illis competere testatur communis sententia. Castrense scilicet, quasi castrense, aduentitium, & profectitium. Castrense dicitur quod in castris acquiritur, siue stipendium sit, siue præmium, siue præda. leg. *de castrensi peculio. & leg. vnica §. item nauare. ff. de bonor. possess. & ex testam. milit.* Neque opus est vt bellum ingruat, satis enim est quod sit acquisitum ob custodiam loci bello destinati. Sicuti notat *lex regia 6. tit. 17. part. 4. & ibi Gregor. Lopez.* Ad idem est hæreditas, seu legatum, cuiusque rei sit siue mobilis, siue immobilis occasione militiæ relictum. leg. *Castrense. & leg. Diuus Adrianus ff. de castrensi peculio.* Si autem non constitit, an fuerit militiæ occasione acquisitum expendi debet, an militiæ per se inferuiat; vt sunt equus, & arma: an verò æquè militiæ, ac aliis utilitas destinetur, vt pecunia. In priori euentu præsumendum est occasione militiæ relictum; secus in secundo. Vti notauit Molina. *tratt. 2. de iustit. disp. 230. in medio.* Item mobilia, secus immobilia, quæ à parentibus, vel aliis extraneis eunti ad bellum donantur, vt bellum gerere possit inter bona castrensia computantur. leg. *castrense. ff. de castrensi peculio. leg. 4. Cod. familia eriscundæ. & leg. 1. Cod. de castrensi peculio.* Secus donata à parentibus, seu extraneis à bello reuerenti. leg. *pater militis. ff. de Castrensi peculio,* nisi forte ob aliquod facinus in bello gestum, ob aliquam communicationem, & amicitiam ibidem contractam donata fuerint. leg. *si forte. leg. castrense. & leg. Diuus. ff. de Castrensi peculio & reg. 1. Cod. eod. tit.* Donata vero filiosfamilias ea lege, vt inter castrensia bona computentur castrensia non efficiuntur. Vc



Ut deciditur. *leg. si forte*, ff. de castrensi peculio, quia esse castrense ex bello pendet, non ex voluntate: præstat autem ea voluntas, ut sic donata ad filium pertineat quasi essent castrensia, ideoque earum proprietates, & usufructus ei competit non parenti. Vt notat Bart. *tract. de duob. fratribus. numero 9.* Sylvest. *verbo Peculium. 1. quæst. 5. §. 7.* Molina. *tractat. 1. disp. 8. §. 130. post medium.* Deinde donata à parentibus vel extraneis filiofamilias, ut regie personæ obsequatur, vel acquisita in palatio regis, ob regis, reginæ, principis, alteriusve similis personæ obsequium inter bona castrensia connumerari debent. *leg. unica. Cod. de castrensi palatino peculio lib. 12. §. leg. regia. 6. tit. 17. part. 4.* Tandem castrensi bus cedunt quæ castrensi peculio comparantur, ut habetur. *leg. 1. Cod. de peculio Castrensi. lib. 12.* quia sunt illius effectus, vel in illius locum subrogantur: & generaliter qualibet bona regulanda sunt iuxta naturam peculij, à quo processerunt. ut ex Bart. Navarr. notauit Molina. *supra dicta disp. 230. in fine.* Consentit Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 7.*

2. Peculium quasi castrense est, quod esto castrense non sit ex iuris dispositione illius privilegia sortitur. Hinc spectant bona ex beneficio, & officio Ecclesiastico acquisita, quia sunt acquisita in spirituali militia, quinimò omnia quæ filiusfamilias Clericus fori privilegio gaudens acquirat inter quasi castrensia connumeranda sunt. Vt habetur *Authent. Presbyteros. Cod. de Episcopis, & Clericis.* Ad idem est patrimonium ab alio quam à parentibus constitutum ad sacros Ordines suscipiendos; nam constitutum à parentibus tamen quasi castrense sit quoad dominium usufructum, & administrationem, & quoad computationem in legitima, & hæreditatis partitione inter profectitia referendum est: ut bene notauit Molina. *disp. 181. post initium.* Præterea quidquid occasione officij publici non mechanicum; nimirum Advocati, Tabellionis, Medici, Procuratoris, Lectoris cuiuscunque facultatis, & executoris liberalium artium fuerit acquisitum inter bona quasi castrensia referri debet. *leg. vlt. Cod. de officio testam. & leg. regia. 2. tit. 2. part. 3.* Quod vero pro huiusmodi officij seu muneribus addiscendis, aut exequendis fuerint donata cenet Bart. *tract. de duobus fratribus. numero 7.* Sylvest. *verbo Peculium. q. 1. §. 10.* Gregor. Lopez. *leg. 2. tit. 2. par. 3.* ad bona quasi Castrensia pertinere: & colligitur ex *leg. similiter. ff. de Castrensi peculio.* Denique peculium quasi castrense reputandum est quidquid à rege, regina, vel principe donatur *leg. cum multa. Cod. de bonis qua liberis.* Quod verum existimat Ant. Gomez. *leg. 48. Tauri. n. 4.* esto donatum sit ad nuptias, vel ad alium finem intuitu patris.

Aduentitium peculium sunt omnia bona quæ cum non sint castrensia, nec quasi castrensia filio obveniunt non à patre, neque intuitu illius, sed aliunde; scilicet hæreditatis iure, donatione, proprio labore, industriâ, negotiatione, fortunâ, & similibus. Quod adeo verum est, ut bona quæ filio ex matris, aut auctorum maternorum successione obveniunt, & in nostro regno quæ ab auiis paternis de tertio, & quinto bonorum relinquuntur, referenda sunt inter aduentitia comparatione patris. Mortuo patre comparatione matris, nulla filij bona sunt aduentitia: quia patria potestas à qua peculium ex se aduentitium procedit, non matri, sed patri competit. Sicuti hæc omnia colliguntur. ex *§. igitur. vers. quod autem instit. per quas personas nobis acquiratur. & ex leg. quæcumque 6. Cod. de bonis qua liberis. & ex leg. regia. 5. tit. 27. part. 4.* Et tradit Sylvest. *verbo Peculium. Navarr. cap. 17. num. 142.* Molina. *tract. 2. de instit. disp. 232. initio.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 7.* Circa ea verò quæ filius proprio labore, & artificio acquirat cum à parentibus sustentetur aduertendum est lucrum, quod sustentationem non excedit parentibus cedere loco illius, quod infumunt in eius sustentationem. Non enim pater filium tenetur suis expensis alere, si filius aliunde habeat ex quo alii possit. Neque inde sit filium simile lucrum ludo, alterius contractui, imò vanis recreationibus expendentem obligatum esse parenti restituere, aut mortuo patre adducere ad partitionem: quia parens eam obligationem censetur remittere, dum contrarium non exprimit. Vt bene aduertit Molina. *tract. 2. disp. 214. vers. Hinc colligo.* Quod si lucrum sustentationem excedat, significetque ea parte quâ sustentationem excedit sibi habere, inter bona aduentitia erit computandum; secus si id non significauit, quia tunc censetur patri concessum. Sic Mol. *supra. vers. illud.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 7.* De acquisitis verò per negotiationem dicendum est. Si ex pecunia furtiva, aut à parentibus mutuò accepta lucrum obuenerit, inter aduentitia bona computandum est: quia illud lucrum non provenit filio à parente, sed à seipso utpote, qui eam negotiationem nomine proprio suscepit. Si verò ex pe-

cunia parentis, & nomine ipsius negotiationem gesserit, non aduentitium, sed profectitium lucrum censendum est: quia patri censetur concessum, aliâs pater ab administratione filium repelleret, si ab eo pro administratione stipendium exigeret. Vt latius probat Molina. *disp. 232. post med.*

Profectitium peculium est, quod cum non sit castrense, nec quasi castrense, à patre profectitur filio, vel ei intuitu, & occasione patris primario, & immediate conceditur. Vt habetur. *§. igitur. vers. sancitum est. instit. per quas personas nobis acquiratur. leg. cum oportet in princ. Cod. de bonis qua liberis. & ibi glossa. verbo. ex illius substantia. leg. regia. 5. tit. 17. part. 4.* Dixi cum non sit castrense, & quasi castrense. Nam plura bona à patre profectuntur in filium, uti sunt quæ filio eunti ad bellum, vel in obsequium, aut palatium Regis, & quæ pro addiscendis liberis, & illarum exercitio conceduntur; quæ inter profectitia bona computari non debent, sed inter castrensia, ut quasi castrensia. Addidi *qua intuitu & occasione patris primò*, & *immediate*, ut excluderem bona quæ primario ob filij obsequia, vel conciliatam gratiam apud donatorem conceduntur, tamen cooperatus fuerit patris intuitu. Sicuti colligitur ex *leg. locum. §. vlt. ff. pro socio.* Et notauit Bart. in *leg. cum oportet. num. 4. Cod. de bonis qua liberis.* Sylvest. *verbo Peculium q. 1. §. 15.* Navarr. *cap. 17. num. 141.* Mol. *tract. 2. disp. 233.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 7.* In dubio autem an donatum filio eius intuitu, vel intuitu parentis fuerit coniecturis est expendendum. Quod si ipsa perpenis dubia res sit, possessori fauendum est. Si vero neuter possideat rem tanquam propriam pro quantitate dubij diuidi debet. Sicuti bene aduertit Mol. *supra.* His postis,

Dico primò filiusfamilias sic dominium habet bonorum castrensiū, aut quasi castrensiū, ut non solum ei competat eorum proprietates, sed usufructus, & administratio, libeque dispositio tam ex testamento, quam quous alio modo omnino à patre independentem. Sicuti competit trifamilias. Vt deciditur. *leg. 1. & seq. ff. Cod. de Castrensi peculio & leg. regia. 6. tit. 17. par. 4.* Quod intellegendum est, dummodò pubes sit, hoc est annam decimum quartam expleuerit; nam antea est illorum dominium, & usufructum habeat, administratio tamen ei interdicta est, ita ut neque etiam ex consensu patris ea alienare possit, bene tamen ex consensu tutoris. Vt deciditur. *§. pupillus. instit. de inutilib. stipulat.*

Dico secundò. In bona aduentitia filius habet dominium directum, seu proprietatem, non tamen usufructum, aut administrationem, sed id patri competit. *leg. quæcumque. leg. cum oportet. Cod. de bonis qua liberis. §. igitur. vers. quæ autem instit. per quas personas nobis acquiratur. & leg. regia. 5. tit. 17. part. 4.*

Excipiuntur aliqui casus, in quibus, filio, & non parenti horum bonorum usufructus, & utilitas competit.

Primus est si ipsemet pater usufructum cedat, & filio remittat. In quo euentu non tenetur filius illum usufructum ad partitionem cum aliis pluribus adducere: quia non est donatus à patre ex suis bonis, sed non acceptus ex bonis filij. Vt rectè notatur Bart. & alij quos refert, & sequitur Anton. Gomez. *leg. 29. Tauri. num. 27. §. leg. 48. num. 9. & 10.* Molina. *tract. 2. de instit. disp. 8. vers. secundus.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 9.* Et colligitur ex *leg. cum oportet. §. non autem. vers. si autem. Cod. de bonis qua liberis.* Quod si pater non expresse remittat usufructum, sed filio permittat eo frui potest postmodum cum sibi placuerit usufructum usurpare, quia illa permissio non est absoluta, & perpetua concessio, sed iux voluntati commensurata. Vt aduertunt Anton. Gomez. & Mol. *supra.*

Secundus est quando filiofamilias aliquid donatur, aut ex testamento relinquatur ea conditione, ut ipse, & non pater usufructum habeat, tunc filius habebit. Vt dicitur expresse in *Authent. ut liceat. matri callat. 8. Cod. de bonis qua liberis.* Oportet autem ut id quod donatur, aut relinquatur liberaliter doneatur, aut relinquatur. Nam si filius hæres illius necessarius est nequit testator, aut donator priuare patrem usufructu ei à lege concessio. Non enim filius eo casu accipit hæreditatem à testatore, sed à lege, ac proinde testator nequit conditionem vllam extraneam ei annexere. Vt bene notatur Anton. Gomez. & Mol. *loc. cit.*

Tertius si filio aliquid doneatur, aut relinquatur patre renuente, quod filius non obstante hac contradictione obineat, illius usufructus filio competet non patri, quia æquum non est, ut pater ex illis bonis quorum consecutioni contra dixit vtilitatem accipiat: fauet lex eum. *§. si vero pater. Cod. de bonis qua liberis.* Glossa in *mauer. idem est. Cod. eodem tit. Mol. disp. 8. vers. 3. Lessius dub. 3. num. 9.*



Quartus; si filio usufructus concedatur, aut ex testamento relinquatur; quia usufructus non videtur posse dari alius usufructus. Seruus enim non est seruus. leg. 1. ff. de usufructu legato. Et licet Anton. Gomez ad leg. 18. Tau. num. 2. velit id intelligendum esse de iure usufructus, non de illius commoditate, quam patri asserit adiudicandum. Verius existimo cum Mol. tract. 2. disput. 8. vers. 4. ius, & commoditatem filio pertinere, quia inuile esset filio legatum usufructus, si illius commoditas, & utilitas patri obuenire debebat, neque intelligi potest; quomodo apud filium stare possit ius usufructus retento à patre iure illius commoditatis percipiendae nomine proprio, cum ius percipiendi commoditatem usufructus sit ius usufructus. Neque obest concessa emphyteusi filiofamilias illius fructum patris esse; vt docuit Aluar. Valasc. de iure emphyteusi, l. p. q. 28. quia fructus emphyteusis ab emphyteuti distinguitur, quippe emphyteusis non solum est ius percipiendi fructus, sed retinendi rem in emphyteusim concessam cum potestate illam alienandi. Præterquam quod eo casu fructus emphyteusis percipit non nomine proprio, sed filij.

Quintum adducit Syluest. verbo Peculium, l. q. 3. quem sequitur Lessius lib. 2. de iustit. cap. 4. dub. 3. n. 11. Si filius vnā cum patre succedat in hereditate fratris, vel sororis, ne aequalis sit successio. Sed hoc intelligendum est in euentu quo testator exprimeret se velle, vt æqualiter succederent tam in proprietate, quam usufructu; alioquin non videtur denegandus patri usufructus illius partis hereditatis filio competens, sicuti denegandus non esset, si sola illa pars filio relicta esset seimeta ab ea, quae patri relinquatur. Nam ex eo quod pater simul cum filio hæres fuerit institutus amittere non potest usufructum hereditatis filio obuenientis, quem aliis habere.

Præteritij peculij dominium, illiusque usufructus, & administratio non filiofamilias, sed parenti à quo profectum est competit. Vt constat ex leg. cum sportes in princ. & ibi Glossa Cod. de bonis qua liberis. §. S. i. vtur. vers. tantum est. insit. per quas personas nobis acquirat. Ab hac regula excipiendum est patrimonium à parentibus constitutum filio pro facris Ordinibus suscipiendis, vel constitutum ipsi, aut filiae pro matrimonio contrahendo: nam esto profectum sit quatenus cum aliis fratribus addacendum est ad partitionem hereditatis; at veniente patre dominium illius usufructus, & administratio filio, seu filiae, pleno iure competit, ita vt usufructum, & vtilitatem illius peculij nequaquam obligentur ad partitionem adducere. Vt rectè notauit Molina tract. 2. de iustit. disput. 233. in princ.

§. II.

Quorum bonorum serui, & mancipia dominium habeant?

- 1 Regula est seruis nullius rei habere posse dominium.
2 Examinantur aliqui euentus in quibus eis concedi debet dominium.
3 In supradictis euentibus verius censetur dominium plenum seruo competere.

Constant est Doctorum sententia seruos, & mancipia nullum per se habere dominium, sed omnia que habent domini esse. Nam cum dominus illos possideat, possidere etiam debet que ipsi adhaerent. Ob quam causam Lex id vtilitatem. 25. ff. de Peculio. Dicit seruum non esse dominum vestimenti quotidiani, quia qui ab alio possidet nihil possidere potest. Et §. item nobis, in ff. per quas personas nobis acquirunt, sancitum est quidquid seruus acquirat quavis causa, & occasione domino acquirere. Vnde Innocent. IV. in cap. cum ol. m. de Privileg. is. inquit seruum, & Monachum in eo esse paros, quod vniuersi alicuius rei dominium habeant.

Verum aliquibus euentibus seruos comparate dominium plurimum rerum saltem imperfectum res est manifesta. Etenim contrahere potest dominus cum seruo, vt ei certam quantitatem soluat ex suo labore, & industria, reseruat sibi quidquid vitra superfit. Nam esto in seruum, & dominum sub his rationibus perfecta iustitia esse non possit, bene tamen inter dominum, & seruum quatenus homines sunt. At idem est tacite, vel expresse dominus suo seruo aliquam quantitatem concedat, vel utque vt propriam habere. Non enim concedit seruo eam quantitatem quatenus seruus est, sed quatenus homo est. Item si quid ei sit donatum, vel relictum ea conditione, ne ad dominum perueniat. Nam cuiuslibet datum est de sua substantia a pro arbitratu disponere. Præterea si in recompensationem damni, & iniurie acceptæ his in rebus que domino non subiciuntur aliquid à domino, vel ab alio tercio concedatur; quia subrogatur loco rei per iniuriam amissæ. Deinde si per turpem corporis vsum, illicitamque actionem aliquid fuerit concessum, quia non seruus non tenetur domino actiones turpes exhibere, ac proinde neque illarum stipendium. Tandem si his bonis quidpiam abique dominij præiudicio lucraretur; quia lucrum, edidit peculio quo fuit ac-

Berth. de Castro de Inst. & Iur.

quisitum. In his ergo euentibus potest seruus sic acquisita alienare domino inconstituito, cuique vti & frui pro suo arbitratu, ac proinde dominum aliquod habere ferendum est, in quo longè à Religiosis differt. Nam Religiosi vt postmodum videbimus nullius rei dispositionem liberam habent, sed Superioris voluntati subiectam, iureque positio redditi sunt incapaces alicuius dominij retinendi, que tamen in seruis non procedunt.

Difficultas autem est, An in supradictis casibus obtineat seruus dominium illorum ita plene, & perfecte, vt nullatenus domino subiciatur, sed ab eo independens sit? Negat Lessius lib. 1. cap. 4. dub. 4. conc. u. 1. Sed in fine in contrariam sententiam propendet. Ducitur Textus, & ratione. n. 1. adductis, ex quibus inferri non peccat dominum contra iustitiam, neque vlam restituendi obligationem habere usurpantem à seruo ea bona, sed tantum esse inhumanum, inod infidelium, si ex eius consensu seruo fuerint adiudicata. Nihilominus veritas censetur seruum illis in euentibus plenum illorum bonorum dominium habiturum saltem spectatâ consuetudine; quod docuit Sotus lib. 4. de iustit. q. 1. art. 2. Salon 2. 2. q. 1. ar. 1. de domino in fine. Ludouic Lopez. 2. p. infrat. cap. 33. Molina tract. 2. disp. 38. Eman Saa verbo seruus. n. 3. Rebellus de obligationib. in suis lib. 1. q. 11. §. 2. Moucor, quia nullibi carum est seruum ratione seruitutis redditum esse incapacem dominij acquirendi; quinimo leg. 1. §. serui. ff. de officio presbiteri verba. & leg. vlt. ff. de iudiciis supponitur pecunie, qua redempti sunt dominum habuisse, siquidem illis legibus sua esse asseritur. Cum verò leges decidentur acquisita à seruo domini esse, quia seruus in potestate domini est intelligi debent de acquisitis à seruo quatenus seruus est, & obsequium præstare domino obligatur. Secus de acquisitis à seruo per obsequium indebitum, per donationem, legationem, aliamque contractum.

§. III.

Quorum bonorum dominium Clericis, & Religiosis interdictum sit?

- 1 Quid sentendum sit de Religiosis remissius responderetur.
2 Clerici sigillatim sumptos dominium non habent bonorum Ecclesia, bene tamen si in communi sumantur.
3 Bonorum qua comparant Clerici Ordinis, & iurisdictionis Ecclesiastica exercitio aominium habent.
4 Item decimarum, primitiarum, aliorumque fructuum beneficij Ecclesiastici secundum probabiliorum sententiam.

Quoad Religiosos attingit tract. 16. disp. 3. punct. 1. explicatum est. Ibi enim diximus spectatâ naturâ rei, & iure Diuino votum paupertatis, & religionem professionem nec priuare Religiosum dominio bonorum acquiritorum, nec impedire acquirendum. At iure positio Canonico hanc priuationem indictam esse professionem emittenti in qualibet religione approbata, ibique declaratum est quid in Religiosis Societatis Iesu. Verum esto priuati Religiosi dominium bonorum quibus vtuntur non habeant, habet tamen Religio ipsa Franciscanis exceptis. Vt colligitur ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 3. de Regularib. Nam illorum dominium penes aliquem existere debet, hie autem non est donator, nam ipse à se dominium abdicare intendit, & in Religionem transfere; neque etiam est Pontifex, nisi quatenus Religiosis est supremum caput, atq; prohibito, & absque legitima causa possit bona vniuersi Conuentus alteri conferre. Superest ergo vt sit sola Religio. Neque inde fit posse religionem ea pro suo arbitratu alienare: nam esto illorum dominium habeat, habet tamen sibi concessum in sui conseruationem, atque adeo sub obligatione illud ad posteros transmittendi. Quod non impedit quin summus Pontifex cui Ecclesie regimen committitur est possit ea bona ab vna Religione auferre, & alteri donare, si manifestum sit hanc bonorum translationem in fidei, & pietatis non leue augmentum celsuram; secus è contrâ. Sicuti tradit Lessius lib. 2. de iustit. cap. 4. dub. 5. concl. 1. n. 20. Molina tract. 2. disp. 142. post princ.

Quod si de Clericis non Religiosis sermo sit, quadruplex genus bonorum possidere possunt. Primum illorum que iure hereditario, donatione, alioque contractu comparata sunt, quæque à Nauarro in apologet. hereditatibus Ecclesia. q. 1. monito. 2. 1. Patrimonialia nuncupantur. Secundum: que computantur officij Ecclesiastici siue Ordinis, siue iurisdictionis exercitio. Tertium: que ex redditibus beneficij Ecclesiastici prosunt. Quartum: que Ecclesie cui præstant competunt. Et quidem Clericos sigillatim sumptos nullum habere dominium, sed solam administrationem bonorum Ecclesie manifestissimum est, Etenim ea bona non sunt donata fidelibus, vt in potestatem, & dominium singulorum Clericorum decedant, sed vt deueniant in dominium communitatis. Quod adeo vetum est, vt neque Pontifex ipse illorum dominium habeat, sed solam administrationem. Vti in cap. non liceat Papa. 12. q. 2. decium est. Neque probandum censetur quod docuit Nauarro in apologet. de vtilitatibus Ecclesia. q. 1. monito. 24. Horum bonorum dominium

D. Silius